

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput X. De anima domni b. fundatoris claustris.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

CAPUT X.

DE ANIMA DOMNI B. FUNDATORIS CLAUSTRI.

Fundator
claustrī
cum duabus
primis
Abbatissis
in gloria
videtur.

IN anniversario quodam piæ et semper recolendæ memoriæ Domni B. ¹ Comitis, fundatoris nostri, cum Missa pro eo celebraretur, hæc Dei ancilla vidit animam ejus coram Deo stantem, et in veste ejus animæ totius Congregationis quam ipse fundaverat, velut imagines pulcherrimæ apparebant, tam earum quæ jam in cœlestibus regnant, quam earum quæ illuc sunt perventuræ. In corona quoque ejus tot aureos flores habebat quot animas in eodem cœnobio fuerat Deo lucratus. Duæ etiam Abbatissæ ², quæ idem cœnobium rexerant, una a dextris et alia a sinistris ejus, in gloria stabant; quibus Dominus valdè dulcibus verbis gratias egit, quod de ovibus sibi commissis nulla unquam periisset. Singulæ vero personæ de Congregatione et multi hæredum suorum, et qui bonorum suorum in terris bene usi fuerant, in modum choreæ circa eum se giraverunt, et de singulis personis radius in animam ejus tendebat, qui mira claritate animam ejus illustrabat. Quælibet etiam persona dulcissimum carmen Deo modulabatur, in quo de singulis quæ cum eis Deus fecerat bonis, faciebant mentionem: quæ anima illius auscultans mira cordis exultabat delectatione. Per quod intellexit quod meritum de singulis haberet, et de omnibus quæ Deus in eis perfecerat bonis, quadam proprietate velut in suis exultaret.

1. Burchardi novæ linæ Mansfeldensis I. de quo in Præfatione horum librorum.

2. Cunegundis de Halberstadt, et Gertrudis de Hackeborn, soror sanctæ Mechtildis.

Vidit etiam inter eos Domni ¹ O. Præpositi animam mirabili et ineffabili decore circumornatam, quasi similitudine claustris habentis cancellos pulcherrimos, in quibus animæ velut imagines sedebant, et desuper scripta erant omnes observationes et quælibet bona suis temporibus instituta.

Item apparet
anima
defuncti
Præpositi.

DE ANIMA DOMNI C. PLEBANI IN OSTERHAUSEN.

ANIMAM quoque Domni C. plebani de Osterhausen ² etiam vidit ibidem; quæ vestem habebat plenam circulis aureis, in quibus Sancti residebant; in quo figurabatur quod valde devotus fuerat circa Sanctos. Videbatur etiam sibi quod sacerdos qui tunc Missam pro eo celebrabat, aureos calices, unum post unum, animæ ejus propinaret: in quo intellexit quod devota gratitudine ejus animæ congaudens, Deo pro ea preces et gratiarum actiones offerebat.

Cumque hostia salutaris immolaretur, Dominus Jesus Christus Cor suum dulcissimum aperuit: de quo ineffabilis suavitatis odor flagrabat, qui animam ejus et animas quæ aderant, in novam jucunditatem provocabat. Ista vero quæ hæc videbat, dixit ad Dominum: « Et unde, mi Domine, promeruit hæc anima ut hanc voluntatem tam grandis et tibi tam laudabilis operis sibi inspirares? » Respondit: « Benigni cordis erat et homo benevolentiae; et quicquid peccavit, non tamen illud nequiter aut malitiose fecit; ideo hanc viam salutis illi mea sapientia adinvenit. Multum enim complacet mihi benevolum cor, et valde aggravat animam peccatum quod per nequitiam perpetratur. Et quia hic non pro favore hominum, sed pro honore meo, et animæ

Cor suum
Dominus
animabus
aperit.

1. Otto, Præpositus, cujus nomen occurrit in charta cautionis, sub Abbatissa Gertrude, anno 1262. Cf. *Præfat.*

2. Osterhausen, parochia tertia leuca ad meridiem ab Helftensi claustris.

suæ salute, monasterium instituit, et Congregationem valde dilexit, speciali quadam proprietate singulorum merita sibi vindicavit, et de bonis eorum quasi de suis exultat. »

CAPUT XI.

DE ANIMA B. COMITIS ANNORUM DECEM ET NOVEM.

CUM felicitis memoriæ domnus B. ¹ Comes obiisset, sequenti die hæc virgo devota in oratione posita, vidit animam ipsius coram pedibus Domini jacentem, et uberrime flentem, pro eo quod in extremis positus, magis timore pœnæ quam Dei amore pœnituisset, nec lacrymas amoris unquam in terris effudisset. Cujus miseriæ illa plurimum compatiens, orabat Dominum quatenus omnes amorosas et innocentes lacrymas, quas unquam in terris effuderat, ejus animæ in remedium et supplementum donaret. Quod dum pius Dominus dignanter fecisset, anima illa plurimum est gavisa.

Illa autem dixit ad Dominum : « Mi Domine, cur animam istius tam immatura morte assumpsisti, utpote qui tam bonum sortitus spiritum, multa si vixisset fecisset bona ? » Et Dominus : « Scis-ne, inquit, quia bona operæ fiunt ab existente in mortali crimine quasi nullius sunt valoris ? » At illa dixit : « Et quid huic proficit quod ho-

1. Hic videtur fuisse Burchardus XII, Gebhardi XX qui excommunicatus anno 1285 decessit, et precibus uxoris suæ. Irmengardis de Schwartzburg, in capella Helftensi nonnisi 1290 sepultus est, filius; quippe solus ex hac familia Mansfeldensi et Querfordensi videtur matura morte illis temporibus præreptus; quod accidit anno 1294. (Franken, p. 223.) Cf. Part. II. c. 22.